



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XVI. De Horis Tertia, Sexta, & Nona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

## TITULUS XVI.

DE HORIS, TERTIA, SEXTA,  
ET NONA.

I. **A**D Tertiam, Sextam, & Nonam ante singulas Horas dicitur *Pater noster*, *Ave MARIA*, *DEVS in adjutorium*, Hymnus & Psalmi, ut in Psalterio: Antiphonæ secundum Officij qualitatem, ordine, quo suprâ. Dictis Psalmis & Antiphonâ dicitur Capitulum, & Responsorium breve pro qualitate Officij, quæ in Dominicis & Ferijs, quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, si in Proprio Sanctorum non sunt propria, sumuntur de Communi. Post Responsorium breve dicitur *Dominus vobiscum* & Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore; si autem sit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum, alioquin in Communi.

II. Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, & dicitur, *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ*, & *Pater noster* secretò, ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.

## TITULUS XVII.

## DE VESPERIS.

I. **A**D Vesperas *Pater noster*, *Ave MARIA*, *DEVS in adjutorium*. Deinde dicuntur quinque Psalmi cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum signantur. *d.* In Dominicis autem & Ferijs Antiphonæ & Psalmi semper dicuntur, ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona Alleluja)